1529 ti negotium peragendum mandata Cæſaris ſufficerent, diſquirere voluit; ad eam rem explorandam Lelubajardum cubicularium a ſecretis in Belgium miſit, viſaque quam Margaretæ ampliſſimam facultatem Cæſar dederat, Rex Ludovicam matrem Cameracum miſit, ut de pace ageret; iis ſe, quæ ambæ ſimul decreviſſent, pollicitus aſſenſurum. Rex ea conſilia initio tecta, mox oratoribus explicuit, nullas concordiæ conditiones amplexurum teſtatus, ni prius Senatui, ac reliquis fœderatis expoſitis, eorum voluntas accederet: interim propenſum illius, atque benevolum in Rempublicam animum officii plenis teſtari verbis; ad pacem hortari; demum petere, ut a Senatu oratoribus ad negotium conficiendum mandata mitterentur. His a Patribus intellectis, quamvis Regis conſilia, actioneſque ſuſpectas haberent, quippe qui modo in Italiam ſe venturum, modo ingentia ſubſidia ſubmiſſurum cum diu affirmaſſet, clam de pace cum Cæſare agitaret; attamen ne ab eo, quod ceteri Principes cupere videbantur, alieni ſe patefacerent, mandata oratoribus, ut paci ſubſcriberent, dedere, modo communi reliquorum fœderatorum conſenſu eſſet amplectenda. Illud adjectum eſt, ſi Rex ab Italico propoſito itinere abſtinere velit, ſaltem copias ad decem millia peditum augeat; duodecim millia præter cataphractos, & leviores equites, tormentaque, Reipublicæ militaturos. Nondum his Senatus literis in Galliam allatis, Andreas Naugerius graviſſimo morbo conflictatus Bleſis exceſſit, vir excellenti ingenio, omnibus diſciplinis, politioribuſque præſertim ſtudiis inſtructus. A prima juventa Bartholomæi Liviani, terreſtrium copiarum Imperatoris, conſiliorum particeps, atque itinerum comes; mox accedente ætate, ſummis negotiis apud ſummos Reges aſſuetus, cui ob ſingularem facundiam, maximarumque rerum uſum Decemviri Hiſtoriæ Venetæ conſcribendæ onus detulere: licet illius fructus acerrimi ingenii cenſura, ex teſtamenti tabulis concrematis libris, ad poſteros minime pervenerit; ex cujus obitu ſummus omnium ordinum civitatis mœror fuit. In ea legatione Marcus Minius ſuffectus eſt. Sebaſtiano Juſtiniano literæ dantur, quibus quo in ſtatu res Italiæ ſint, Regem edoceat; octo millia peditum in Haſtenſem agrum Rempublicam ſi in Italiam

Lelubajardus a Rege in Belgium miſſus.

Ludovica Regis mater ad Cameracum ad pacem ſanciendam.

Franciſcus Rex, ut Senatus oratoribus mandata de pace dare, poſtulat.

Senatus mandata paci ſubſcribendi oratoribus tribuit.

Andreæ Naugeri obitus.

Marcus Minius orator in Gallia.

Veneti per Juſtinianii oratorem in Italiam Gallos alliciunt.